



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 164. Ejusdem opera

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C. 1454.

§. CLXIV.

*Tostati Opera.*

*Tost. oper.  
edit. Colon.*

*Tostat. oper.  
XII.*

Inter præclara ejusdem opera primas sibi vendicant doctissimi Commentarii in omnes fere sacræ Scripturæ libros; ubi incipiens a Pentateucho Moyfis, historicos libros percurrit, & ad novum testamentum se protendit, quod clare, ac exacte admodum interpretatur. In his minutissima quæque in lucem pandit, abdita referat, arcana revelat, ac errores confutat, præcipue vero Rabinorum commenta, quorum scripta singulari profus studio perlegit, ut si quæ bona in illis reperiret, exciperet, ac comprobaret, eorum vero somnia, atque superstitiones refelleret: gravissimo demum stylo altas, sublimesque sacræ paginæ sententias explicat, & quamvis in omnibus sublimis foret, emicuit tamen majori doctrinæ ac judicii splendore, dum de sacris Evangeliiis tractat; Ibidem enim non minus inexhausta ingenii sui fecunditas in multitudine quæstionum, quam soliditas ac perspicuitas in earum solutionibus ex æquo certant. Præter hos commentarios ad nos transiit *defensorium quarundam propositionum*, ex suis thesibus depromptarum; necnon quinque *Paradoxa* in hoc verbum *Vas*, quod Beatæ Virgini attribuitur,

tur, & qualiter Christus Dominus dicatur **Sæcul. XV.**  
 leo, Agnus, serpens, & Aquila; opuscu- **A.C. 1455.**  
 lum *de SS. Trinitate*, aliud in hæc Isaiaë  
 verba: *Ecce Virgo concipiet*, item contra *Ibid.*  
*Clericos concubinarios*, tractatum de statu  
 animarum post mortem, & alium de opti-  
 ma populæ regendi ratione, quem *de o-*  
*ptima Politia* inscribit. Cuncta ista ope-  
 ra tredecim tomis in forma majori typis  
 impressa habentur; inter illa autem, quæ  
 perierunt, præcipua sunt, plures de Ju-  
 risprudentia tractatus, alius *de Amicitia*, *In præf.*  
*de Conciliis Generalibus*, item *impugnato-* *oper. Tost.*  
*rium contra errores Alcorani*, *Sermones*  
 nonnulli, denique, *Commentarius in librum*  
*Chronicorum Eusebii*, quem tamen pa-  
 trio sermone scripsisse dicitur.

## §. CLXV.

*Laurentii Justiniani Patriarchæ*  
*Veneti obitus.*

Funesta Ecclesiæ erant Anni millesimi **Ann. 1455.**  
 quadringentesimi quinquagesimi quin-  
 ti auspicia; in his enim primarium illius  
 lumen Laurentius Justinianus Venetorum  
 Patriarcha defecit, qui pari, qua vixit,  
 sanctitate die octava Januarii humanis  
 rebus ereptus est, annos natus septuagin-  
 ta tres, sexque menses. In vita erat *Palmar. in*  
 prophetiæ dono illustris, post mortem ve- *Chronic.*  
 ro plurimorum miraculorum testimonio